



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Formula indictionis diei sacræ ordinationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

Formula monitionis de sumendo in paschate Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Habetur supra parte 4 Actorum pag. 235.

Formula denunciandi interdictos ab ingressu Ecclesiæ ob non sumptam in paschate communionem. Habetur item supra parte quarta, Actorum, pag. 501.

Formula facultatis induendi habitum clericalem.

CArolus & cæt. Tibi N. qui è iustis nuptijs, vt nobis legitimè constat, natus es, in clericali militia adscribi, in eaque Deo inferuire cupienti, habitum clericalem, eumque decentem, ad Cõciliorum nostrorum Prouincialium præscriptum induendi facultatem damus; quo suscepto habitu, vbi primùm per examen nostrum idoneus repertus eris, ad tonsuram clericalem initiãdum aditus tibi fiat. Dat.

Formula indictionis diei sacræ ordinationis. Habetur supra parte 3. Actorum pag. 145.

Formula denunciationis quatuor temporum. Habetur supra in Conc. 4. Prouinc. pagina 119.

Formula testificationis pro ijs qui sese ante sacram ordinationem Reuerendiss. Archiepiscopo veleius cancellario se præsentant.

Hodie comparuit N. in Cancellaria Archiepiscopali, ex præscripto edicti sacræ ordinationis, pro . . . In cuius rei fidem, &c. ex Cancellaria Archiepiscopali &c.

Formula facultatis euulgandi nomina eorum, qui ordinis Sacramento initiandi sunt; & de eorundem scrutinia.

CArolus &c. Reuerende dilecte noster. Pro nostræ Mediolanensis Ecclesiæ utilitate, & necessitate, iam in

proxima sacra ordinatione N. promouendum censemus: quemadmodum in Domino piè expedit. Quamobrem nos fide, prudentia, circumspectioneque tua confici, tibi N. his literis mādamus, vt quamprimum, die Dominico, festiue, intra Missarum solennia populo frequenti in Ecclesia tua illius nomē & cognomen promulges, denuncies, desideriumque piū exponas: deinde tu, etiam absque notario, de eius ipsius natalibus, ætate, vita, ac moribus diligenter iussu nostro inquiras. Idque vtrunque ad præscriptum formulæ & instructionis per nos editæ, a te præstare iubemus. De promulgatione autem, denunciatione, & inquisitione eiusmodi, quam præstitisti, & de eo item, si quid illo nomine caussave ad te delatum erit, literas sigillo tuo obsignatas ad nos accuratè mittas. Vale in Domino. Dat.

Formula indictionis diei sacræ ordinationis, Habetur supra par. 3. pagina 145.

Formula denunciandi in Ecclesia eos, qui ad ordines promouendi sunt. Habetur supra parte 4. Actorum pagina 580.

Formula publicandi bona, ad quorum titulum quis ordinandus sit.

NOueritis Dilectissimi in Domino, N. ad sacrum Subdiaconatus ordinem promouendum esse, ad titulum patrimonij, Censuræve illi assignati, in, & super bonis & iuribus infrascriptis, quæ sunt valoris annui scutorum . . . vt ipse asserit. Quare si quæ fictio, vel alia fraus subest, vel aliud, quamobrem bona ipsa & iura non pacificè a prædicto N. promouendo possideantur, vel si quæ bonorum & iurium ipsorum pars ære alieno, aliove modo obstricta sit, vnde is deinde initiatus non habeat satis vnde viuat, ad me, vel ad Reuerendissimum Archiepiscopum, seu ad eius Vicarium generalem quamprimum sua deatis deferre.